



LEFANKIN

THEOLOGICAL

MEXICO 1887



BX2 350

.5

C34

1887

c.1

222957

008310



1080020848

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



Ave, Domina mea, imo cor meum, anima mea!

(S. Bonav.)

COMPENDIUM
THEOLOGIAE ASCETICO-MYSTICAE

BEATAE MARIAE VIRGINI

DICATUM

SIVE

INSTITUTIONES THEOLOGIAE MYSTICAE FUNDAMENTALIS

QUIBUS

ORDINARIAE VIAE PERFECTIONIS

PRINCIPALITER PERSCRUTANTUR

AUCTORE

P. Fr. JOSEPHO CALASANTIO A LLEANERAS

Ord. Minorum S. Francisci Capuccinorum.



Editio Secunda.

Cum Rmi. P. Min. Generalis facultate et Ordinarii licentia

Capilla Alfonsina

Biblioteca Universitaria

MEDIOLANI

EX TYPIS SERAPHINI GHEZZI

Via Manzoni, Vic. Facchini, N. 6.

1887.



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

44967

Bx 2350

- 5

C 34

1887

JUS PROPRIETATIS RESERVATUM.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

APPROBATIONES

Fr. BERNARDUS AB ANDERMATT

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM
MINISTER GENERALIS.

Cum opus, cui titulus *Compendium Theologiae Ascetico-Mysticae, Beatae Mariae Virgini dicatum* auctore A. R. P. Josepho-Calasancio a Llevaneras, Definitore, a duobus Ordinis nostri theologis, quibus id commisimus, revisum et approbatum fuerit, ac proinde in lucem edi posse ipsi probaverint, praesentium tenore lubenti animo facultatem concedimus, servatis de jure servandis, ut typis demandari possit ac valeat.

Datum Romae, e Conv. nostro Immac. Conceptionis B. M. V., die 2 Augusti 1886.

Fr. BERNARDUS AB ANDERMATT

Ord. Minor. Cap. Min. Gen.

L. S.

008310

De mandato Reverendissimi P. Bernardi ab Andermatt, Ord. Min. Cap. Ministri Generalis, attente perlegi et examinavi opus, cui titulus *Compendium Theologiae Ascetico-Mysticae, B. Mariae Virgini dicatum*, auctore A. R. P. Josepho-Calasancio a Llevaneras, Definitore Provinciali, nihilque inveni, quod sit a sana fide et optimis moribus alienum; imo ob solidam et genuinam doctrinam methodice, quamvis juxta Compendii naturam breviter expositam, optimum illud censeo medium, quo humilis anima christiana meditando simul ac orando per triplicem perfectionis viam ad vitam perducatur aeternam. Unde hoc opus dignum existimo, ut typis mandetur.

Romae, in Festo S. Annae, Matris B. M. V., 1886.

FR. FULGENTIUS A GOSENSAS,
Ord. Min. Cap. Secr. Gen.

Opus attente perlegi quod inscribitur: *Compendium Theologiae Ascetico-Mysticae, B. M. V. dicatum*, auctore A. R. P. Josepho-Calasancio a Llevaneras, Ordinis nostri Def. Provinciali; in eoque, sicuti et in aliis ejusdem auctoris Compendiis, amplam, tutamque ac methodicam, cum amica brevitate, doctrinae expositionem, pro modulo meo, reperi: et ideo dictum Compendium, ut ad finem feliciter adducatur, per similem *Mysticae formalis* enucleationem, et in utilitatem Lectorum ac spiritualium Directorum, publici juris fiat summopere exopto.

E Conv. nostro Imm. Conceptionis Urbis.

In Festo B. M. V. Angelorum Reginae.

FR. PIUS A LANGONIO,
O. M. Cap. Secr. Gen., Censor Delegatus.

CENSURA

De mandato Exmi. et Ilmi. D. Episcopi hujus Dioecesis, opus cui titulus « *Compendium Theologiae ascetico-mysticae,* » a Rdo. P. Josepho Calasanz a Llevaneras, Ordinis Capuccinorum conscriptum, attente legi: tantumque abfuit ut in eo aliquid a catholica fide vel christianis moribus dissonum invenirem; ut potius solide, nitide ac methodice, quamvis vero breviter, ut fert operis natura, expositam reperi, genuinam doctrinam ad mysticam theologiam spectantem. Vere hujuscemodi parvum opus Theologiae mysticae compendium nominatur, utpote praecipua documenta ex potioribus auctoribus, de perfectione ac mystica tractantibus, in eo excerptaveniuntur.

Haec omnia una cum unctione, quibus humilis ac sapiens Auctor doctrinam exponit, hoc opus dignum efficiunt, ut typis mandetur. Ita censui ac judicavi.

Barchinone, die 31 Julii 1886.

DR. JOACHIM DE COTS, PBR.
In Seminario Theologiae Professor.

Imprimatur.

Barchinone, 5 Augusti 1886.

FRANCISCUS DE POL, Vic. Gen.

Reimprimatur, servatis servandis.

Romae, 1 Jan. 1887.


FR. BERNARDUS AB ANDERMATT
Min. Gener.
Ord. Min. Capuccinorum.

Mediolani, die 3 Januarii 1887.

ADMITTITUR

Pro Excell.^{mo} ac Rev.^{mo} D. D. Archiepiscopo

Sac. ANGELUS ROSSI
Can. Ord. Theol. Metropolit.



PROLOGUS

Maria Spes nostra peramantissima 'protegente, *Compendium Theologiae Ascetico-Mysticae, sive Mysticae fundamentalis* eo fine exaravi, ut omnes animarum Moderatores omnesque clerici et religiosi, quasi in brevi Summula, ea omnia facile invenire possent, quae ad perfectionem spiritualem sive propriam, sive aliorum conducere valent, divino praesupposito auxilio. Multi enim hodie scientiam ascetico-mysticam non tanti quanti oporteret facientes, et difficulter incumbunt hujusmodi studio, et minus libenter occupantur in vera solidaque devotione in seipsis et in discipulis, promovenda, contenti ut modo generali et quasi in confuso Deo deserviant, quin ad doctrinas Doctorum spiritualium sufficienter ascendant, et omnimodam in divino famulatu fidelitatem perscrutentur et prosequantur.

Ex tali agendi ratione (pestiferis praesentis saeculi levitatis, mediocritatis, et uti dicunt, superficialitatis amatoris influxibus, magna ex parte debita), debilitatur persaepe animarum fortitudo, et fidei sensus, fideique

mores minorantur in multis aliunde bonae voluntatis fidelibus, quorum cor ex negligentia principiorum vitae spiritualis partitur inter mundanas vanitates et divinum obsequium, mundo multum indulgens et Deo quasi taxative serviens.

Mystica fundamentalis, de qua *principaliter* in hoc opusculo (praenotatis scientiae mysticae proprie talis prolegomenibus, seu notione) agimus, vocari posset et *Ascesis*, sive *Mystica late sumpta*, quatenus *per se* non considerat *ex professo* arcana *viarum extraordinariorum*, sed principaliter tradit quidquid ad ordinariam perfectionem conducere potest, vel ab illa impedire, ut anima rite obfirmata in hac securissima perfectione et unione cum Deo, quotidie crescat in charitate, et non decipiatur per falsam pietatem, immo, si Deo placuerit, proprie mysticos, seu extraordinarios spirituales favores (de quibus alibi separatim et speciatim tractabimus) salutarius accipiat.

Aliunde, nullus Director debet ignorare fundamentalia pietatis principia, si non vult in multis decipi, et inutiliter, imo et periculose alios docere.

Mystica fundamentalis tradit ergo permulta quae *Mysticae proprie dictae* seu *Mysticae speciali necessaria* evadunt, et semper a mysticis proprie talibus prae oculis haberi debent. Unde non mirandum, si innumeri prope Doctores mystici totam scientiam ascetico-mysticam sub nomine *Theologiae mysticae absque addito tradunt*.

Et sicut *Theologia Moralis* frequentius perscrutanda est ab animarum pastoribus quam *Theologia Dogmatica* (quamvis haec ultima nunquam negligenda), utpote quia

morales difficultates frequentiores occurrunt; ita *Theologia Mystica fundamentalis* et *Ascesis* saepius (speciali non neglecta) perscrutari debet quam *Theologia Mystica specialis* seu *proprie dicta*, quia quotidie multi reperuntur fideles qui in ordinariis perfectionis viis perambulant: multo pauciores vero et rariores qui in viis extraordinariis inveniuntur.

Compendium nostrum continet doctrinam S. Thomae, S. Bonaventurae, et celebriorum Mysticorum, necnon permultas Patrum et antiquorum Doctorum sententias, ad utilitatem praesertim concionatorum v. gr. in locis piis, et faciliorem jucundioremque lectionem.

Utinam omnes lectores humillimi hujus compendii, auspicante B. M. V. perveniant ad montem sanctum perfectionis.

Romae. In festo B. M. V. Prodigiorum, die 9 Julii 1886.

OMNIA SUB CORRECTIONE S. ROMANAE ECCLESIAE.





PRAENOTIONES

1. Monitum Seraphici. — « In principio primum
« principium, a quo cunctae illuminationes descen-
« dunt tanquam a patre luminum, a quo omne est
« datum optimum et omne donum perfectum, Patrem
« scilicet aeternum, invoco per Filium ejus Dominum
« nostrum Jesum Christum. » — « Oratio igitur
« mater et origo est sursum actionis in Deum. Ideo
« Dionysius in libro de Mystica Theologia, volens nos
« instruere ad excessus mentales, primo praemittit
« orationem. Oremus igitur et dicamus ad Dominum
« Deum nostrum: Deduc me, Domine, in via tua,
« et ingrediar in veritate tua. Laetetur cor meum
« ut timeat nomen tuum » (*Itin. ment. ad Deum*,
prolog. et cap. 1).

2. — Definitio. — I. « Mystica Theologia idem
est quod extensio amoris in Deum per amoris desi-
derium » (S. Bonav., *de Myst. Theol., in prolog.*).
Unde, Theologia mystica auget et extendit amorem,
et hoc per desideria vera, continua, ardentia.